



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1764

VD18 90118049

Dissertatio V. In Historiam Ecclesiasticam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)



DISSERTATIO V.
IN
HISTORIAM
ECCLESIASTICAM.

Divinæ Providentiæ ad conservan-
dam sua in Ecclesia sanam do-
ctrinam ultima per tempora serviit
inter alia institutio Academi-
arum, si-
ve Universitatum, quæ titulo tam ma-
gnifico non ante initium Sæculi XIII.
donatæ sunt, quamvis aliquæ jam for-
matae propemodum essent sub simpli-
ci scholarum nomine. *Latinarum Diss. 3. n. 21.*
Hist. Ecclesiast. Tom. XX. A suc-

I.
Academia
Parisiensis &
Bononiensis.

successionem usque ad finem sæculi X. Dissertatione tertia indicavi. Remensis tunc erat celeberrima, qualis per totum sæculum sequens permansit, & in Divo Brunone præcipuum suum habuit ornamentum. Eo referri possunt Roscelinus Compendiensis, ac illustres duo fratres Anselmus & Radulphus Laudunenses, quia in provincia Remensi docebant literas.

Hist. Lib.
LVII. n. 31.

Schola Parisiensis a fine sæculi X. inclaruit, ut legitur in Vita S. Abbonis Floriacensis, qui Musis operam ibi navavit: & forsitan commoratio nostrorum Regum, qui tunc Parisiis sedem suam fixerant, ad attrahendos illuc egregios Magistros haud parum contulit. Hujus scholæ fama magnum cepit incrementum ineunte sæculo XII. sub Guilielmo* Camposio ac discipulis ejus, qui juventutem ad S. Victoris erudiebant. Eodem tempore delatus Lutetiam Petrus Abailardus humaniora & Philosophiam Aristotelicam tradendo ingentem in existimationem venit: Albericus

* de Champeaux.

Lib. LXVI.
n. 22.

ricus quoque Remensis ibidem con-
scendit cathedram, & dialecticos om-
nes nominis celebritate superavit,
quamvis sectæ Nominalium, cujus au-
thor Roscelinus fuerat, adhæreret.

Sed præcipuum scholæ Parisiensis *Lib. LXX.*
lumen Petrus Lombardus Pontifex *n. 34.*

fuit, quem suus sententiarum Liber,
circa dimidium sæculi XII compo-
situs, tam clarum reddidit. Is tan-
quam corpus Theologiæ perfectissi-
mum, ut publice prælegeretur, ele-
ctus est præ tot aliis ejusmodi col-
lectionibus, quas sub idem tempus
Hildebertus Archiepiscopus Turo-
nensis, Cardinalis Robertus Pullus,
Rupertus Abbas, & Hugo a S. Vi-
ctore in lucem ediderant.

Sic inter eos, qui Canones colle- *Ibid. n. 28.*

gerunt, orbi litterato nemo se proba-
vit magis, quam Gratianus monachus,
cujus opus eadem ætate Bononiæ
in Italia exaratum illius scholæ fa-
mam, jam per Legum Romanarum
studia viginti abhinc annis renovata
nobilem, auxisse videtur. Nam ve- *Lib. LXX.*
risimile est, ejus rei causa Longo- *n. 18.*

A 2

bardiam

Spicil. tom.
2. p. 336.

Lib. 38.
n. 34.

bardiam e longinquo petitam fuisse exempli gratia inter alios ab Arnol-
do Pontifice Lexoviensi. Et anno
1220 Honorius Romanus Pontifex
in diplomate quodam memorabat,
Bononiam ob cultum Musarum per
omnem terram celebrari laudibus.
Notandum etiam, Magistrum Sen-
tentiarum Novaria, & jam antea Lan-
francum Archiepiscopum Cantua-
riensem Ticino venisse: id quod in
Longobardia successionem Theologo-
rum æque ac Jurisperitorum nobis
indicat. Et vero antiquissimæ duæ
Academiæ, quas sciam, sunt Parisien-
sis & Bononiensis: vocatæque sunt
Universitates, ut constaret, eas com-
plecti omnia, & in una eademque ur-
be doceri quaslibet artes liberales,
ac scientias, quas addiscendi cupidis
diversa prius loca adeunda erant.

II.
Utilitas Aca-
demiarum.

Hæc institutio maximum Eccle-
siæ emolumentum attulit. Docto-
res optime gnari, certa in urbe oc-
cupationem ac laborum mercedem
se nacturos esse, veniebant ultro do-
micilium ibi collocaturi: litterarum
studio-

studiosi de præclaris Magistris, & omnibus vitæ commodis illic invenendis securi, eo se turmatim conferebant undique remotis etiam e regionibus: ita Parisios itum ex Anglia, e Germania, & omni Septentrionum parte, ex Italia, ex Hispania. Æmulatio fecit, ut ferverent studia, quibus Doctores ac discipuli se certatim dabant: & fructuum maximus erat iste, quod melius conservaretur doctrinæ puritas, cum inter multos Magistros mutuo in conspectu docentes vel minima novitas mox confutaretur. Facilius etiam æqualis tum doctrinæ ratio, tum docendi modus tenebatur. Tot auditores variis e terris, quod iisdem e fontibus hauserant, spargebant domi, & suo tempore Magistri facti in sua quisque patria docebant, quod Parisiis didicerant.

Politica Academiæ instituta multum valebant ad stabiliendam doctrinæ sanæ traditionem. Non, ut antea, cuilibet privato licitum erat docere, quando se credebat habilem:

debebat esse receptus inter Magistros artium liberalium, vel inter Doctores facultatum superiorum; & hi tituli non nisi per gradus tribuebantur post severa examina, & longa experimenta, ut respublica de peritia Magistrorum securam fieret. Totum corpus interponebat fidem suam, & si quis eorum errasset, hunc corrigendi jus habebat. Ex præscripto, quod anno 1215 Cardinalis Legatus Robertus Cursonius dedit, docentem Parisiis artes oportebat annos viginti & unum habere, ac saltem sexennium illis impendisse; ad tradendam Theologiam triginta quinque ætatis annos numerare, & octo in illam insumpsisse opus erat.

*Hist. Lib. 77.
n. 39.*

Echard.

*sum. S. Ivo.
vind. p. 230.*

Fratres Prædicatores, jam inde a principio instituti sui Academiæ Parisiensi adjuncti, suos ad supremum Theologiæ gradum hoc modo promovebant. Ille, quem Ordinis Præpositus Generalis, aut Comitium Sacrum renunciaverat Baccalaureum, ut vocant, initium ducebat ab explicanda sententiarum materia in schola
Docto-

Doctōris cujusdam, id quod per anni spatium agebat, cujus in fine Præfectus Monasterii, sive Prior, & Doctores eam tunc facultatem re ipsa tradentes Baccalaureum istum Ecclesiæ Parisiensis Cancellario (ut vocabulo notiore utar) sistebant, & jurati testabantur, illum ab ipsis judicari dignum, qui Doctōris munus exerceret. Post examina publica, & alios quosdam ritus solennes Baccalaureus inter Doctores relatus, altero anno pergebat Librum Sententiarum exponere in sua schola; nam cuilibet Doctōrum erat sua. Anno tertio Doctōr novus suam etiamnum scholam, subjectum sibi vero Baccalaureum habebat, sententias explicantem, quem anno elapso Doctōris dignitatem obtenturum ad Tabularii sanctioris Præfidem adducebat, sicut ipsemet ad eum adductus fuerat. Totum docendi munus tribus his annis absoluebatur salvis Thesis, quas subinde defendere oportebat: sed hoc inde emolumentum provenit, quod nemo crearetur Doctōr, nisi qui publice

bluce docuerat. Cæterum documenta non dictabantur e scriptis, verum Professor præparatus ea continenter, sermonum instar, pronunciabat, & auditores, quantum poterant, calamis excipiebant. Hunc morem in Academia stabilitum vidisse Fratres Prædicatores, & accepisse credibile est.

III.
Collegia.

*Pasq. Recher. Lib. 9.
c. 15.*

* de Mar-
moutier.

*Hist. Lib. 83.
n. 47.*

Institutio Collegiorum, quorum initia circa dimidium sæculi XIII facta sunt, magno fuit adjumento ad tuendam politicam Academiæ disciplinam, & ad continendos in officio auditores inibi commorantes. Religiosi ante alios extruxere domos, in quas fratres suos scientiis conjunctim daturus operam, & a consuetudine cum hominibus profanis arcendos mitterent. Sic præter Fratres Prædicatores, Minoresque, quorum primas in ædes Parisienses totus Ordo convenit, etiam Bernardini (*) pro suis Collegia * Majoris Monasterii & Cluniacense condiderunt. Primis annumerandum venit Sorbonicum

(*) Benedictini, ut asseritur in celeberrimo Lexico universali Triyultino seu de Trevoux.

cum, Clericis, qui Sæculares dicuntur, destinatum: & postea plerique Episcopi erexerunt dotaruntque aliqua pro pauperibus litterarum studiofis e suis Diœcesibus. Hac arte satis quodammodo faciebant suo pene primario muneri erudiendi ac formandi Clerum suum, cum tantos Doctores, quanti publicis in scholis erant, suis in urbibus haud invenirent.

Porro disciplina Collegiorum ad alumnos non litteris solum sed & moribus Clero dignis imbuendos pertinebat. Vivebant communiter, divinum celebrabant officium, stas studiorum ac recreationum horas habebant, & plures Magistros vigiles, qui eos regerent, atque coërcerent: atque ita hæc Collegia erant parva quædam seminaria. Quid multa? Hæc institutio, ac reliqua omnis Academicarum providentia tum communi assensu excepta est, ut cunctæ Latinitatis regiones exemplum Franciæ ac Italiæ sequerentur, & a sæculo XIII novæ identidem conderentur Academiae.

A 5 Vide-

IV.
Studiorum
cursus.

Hist. lib. 45.
n. 19.

Diss. 3. n. 2.

Hist. lib. 20.
n. 23.

Videamus modo, qualia fuerint illa studia, quæ tanto ardore suscepta sunt, & an crescente discipulorum doctumque numero perfectionis apicem attigerint. Haud dubie hæc eorum erat intentio. Sed temporis infelicitas obstabat. Bonorum gustus studiorum erat perditus, & nondum sublatus error doctorum sæculi noni, qui, dum volebant omne litterarum genus amplecti, accurate nihil percipiebant. Pro certo sumebatur semper, admittendum ad lectiones Theologicas debere instructum esse artibus liberalibus, nimirum saltem grammatica, rhetorica, logica, ac cæteris philosophiæ partibus: & inde ad nos venit certus iste, qui etiamnum durat, studiorum cursus. Consilium erat optimum, si executioni dari potuisset: sed vita hominum est nimium brevis, quam ut quamlibet earum artium perscrutentur, ut sperabatur, & tum demum scientiis superioribus sese impendant. Quod si ponamus etiam felici cuidam ingenio id bene posse succedere, non tamen

tamen omnibus esset suadendum: præterea vera scientia Ecclesiastica omnibus his præludiis non habet opus. Antiquitas ne in Episcopis quidem ipsis ea exigebat: & S. Augustinus nominat illorum aliquem ex sua vicinia, quem, etsi litteras humanas non didicisset, Theologum tamen censebat adeo bonum, ut ad eum mitteret Proculejum Donatistam, quem in ruborem daret. Nempe probus iste Pontifex sat doctus erat per continuam Sacri Codicis meditationem, ac lectionem Authorum Ecclesiasticorum, qui sermone latino (hic ei patrius erat) scripserant. Litteris leviter tinctus videtur scire, quæ nescit, quod infra ignorantiam est.

Grammatica secundum ideam Græcorum ac Romanorum, a quibus eam accepimus, & secundum rectum iudicium debebat esse studium nostræ linguæ patriæ, ut ea emendate loquamur, & scribamus. At non hunc in modum grammatica nostris in scholis discebatur. Tantum ab erat, ut linguis vernaculis applicaretur,

*Aug. Ep. 34.
n. 166.*

V.
Grammatica.

tur, ut hæ spernerentur etiam velut indignæ calamo ac feriis sermonibus, sed obstinatis animis omnia scribebantur lingua latina, etsi per plura jam sæcula nulla terrarum gens ea loqueretur. Attamen circa dimidium sæculi XII cæpta est scriptio Romanica, seu Gallica illius temporis, consistens fere solis in cantilenis, quibus arma & amores celebrabantur ad oblectandum, uti tunc dici solebat, ordinem Nobilium: atque hinc ejusmodi fabulæ vocatæ sunt Romanicæ. Primum, quod sciam, opus ferium hac in lingua est Historia Ducum Normanniæ a quodam Clerico Cadomensi, quem Magistrum * Vassium appellabant, anno 1160 publici juris facta. Circiter 50 abhinc annis Godefridus Villarduinus soluta dictione scripsit historiam de capta Constantinopoli: & procedente tempore non Galli solum, sed & Itali, ac Hispani paulatim audentiores facti ad scribendum sermone patrio animos adjecerunt.

* Vace

Haud

Haud video tamen, illos hac prima ætate Grammaticæ studium ad id applicuisse: sed videntur esse veriti, ne hanc profanarent. Sic judico ex historia Villarduini, ubi eadem verba tam diversis modis scripta conspicio, ut illorum orthographiam & forsitan prononciationem nondum fixam fuisse pateat. Nec distinctionem singularis & pluralis numeri, nec æqualem constructionem, & ut paucis dicam, nullam ibi regularum observationem invenio. Hinc factum, ut nomina peregrina haud modice deformarentur, & in Villarduino Toldres Liasces pro Theodore Lascaris, in Malespino Florentino Palliolo pro Paleologo, & Ghirigoro pro Gregorio, denique in aliis recentioribus Cecile pro Sicile inveniamus. Nec omissendum, quod illo tempore homines profani etiam maximæ dignitatis plerumque in litteris hospites essent, usque adeo, ut nec scribere scirent, nec legere. Igitur quoties epistola erat exaranda, accersito cuidam clerico mentem suam aperiebant, qui, quod

quod ad rem facere videbatur, latinis scribebat verbis, & acceptum postea responsum iterum vocatus explicabat. Unde inter epistolas Petri Blesensis plures videas, principum virorum ac foeminarum nomine scriptas, ubi non semper verbis, quæ illis maxime convenissent, usus est.

Itaque non nisi linguæ latinæ causa grammaticæ dabatur opera, seu potius utrique simul, ut nos etiamnum facimus, eo discrimine, quod nobis latinitas, quam fieri potest, purissima monstretur; illa vero ætas contenta fuerit dictione inculta & horrida, cujus reliquias in scholis philosophicis æque ac theologicis videmus. Iste sæculi XIII & duorum sequentium sermo scatet verbis latinis a vero sensu suo detortis, vel conformatis ad linguas patrias, aut foedatis admittance barbararum vocum ex aliis linguis petitarum, ut *guerra* & *treuga*, ita, ut qui non sciunt nisi latinitatem probam, depravatam illam sine studio peculiari non intelligant: cui enim *miles* equitem, *bellum* pugnam

gnam mox indicat? Ex ratione contraria docti illorum temporum auctores probe latinos non profanos solum, quibus carere forsitan potuissent, verum etiam Sanctos Ecclesiæ Patres Cyprianum, Hilarium, Hieronymum, Augustinum dimidia tantum ex parte intelligebant, ac sæpe, cum eorum verba legerent, sensa non assequebantur. Et quia non libenter legitur, quod non percipitur, neglectis sensim libris veterum legabantur novi ad intelligentiam magis accommodati: sic studium antiquitatis tanquam inutilis curiositas denique in contemptum venit. Quare grammatica in declinationes, conjugationes, & communissimas syntaxeos regulas redacta fuit. Quantum spectabat ad cætera, phrasin linguarum vulgarium sequi lubebat, e quibus mutua sumebantur nova quotidie verba, iisque latina tantum terminatio dabatur. Non deerat tamen huic abjectæ latinitati utilitas sua, fateor. Erat lingua cunctarum latini ritus gentium litteratis omnibus commu-

commu-

communis, qualis etiamnum est præfertim in Septentrionibus.

Illi, qui latino sermoni tam infeliciter studebant, eoque ad loquendum & scribendum assidue utebantur, græco & hebraico non erant intenti, quamvis Latini cum Græcis permisti ab expugnatione Constantinopolis cum his ac Judæis per Franciam & totam Europam reliquam diffusis necessarium haberent commercium. Sed frequens discendi opportunitas haud stimulat satis, nisi accedat curiositas. Etenim a bellis sacris Arabicam, Syriacam, & cæteras orientales linguas perdiscendi occasio eadem Francis obtigit: & tamen inter Latinos Clericos per Orientem intra duo sæcula dispersos vix unum scio, qui studuerit his linguis tam necessariis ad cognoscendas Musulmanorum leges, sectam, & historiam, & ad evitandos errores maximos, qualis erat illorum, qui Mahometem in statuis adorari dicebant.

Ut

Ut Patres Græci legerentur, ob ignotam eorum linguam factæ sunt translationes, sed vitiosæ nimium: & raro admodum illis temporibus, de quibus loquor, allata video illorum testimonia, præterquam Joannis Damasceni, ac existimati Dionysii. *Hist. lib. 70. n. 29.* Invenio tamen exempla quædam Latinorum, qui græce sciebant, & in lectione Patrum Græcorum versati erant: ut illi quatuor Religiosi mendicantes a Gregorio IX Summo Pontifice missi, ut cum Græcis consuetudinem jungerent, quorum errores in concilio Nymphæo anno 1234. tam fortiter oppugnabant. *Lib. 80. n. 20. 29.* Mirum, quod discipulos non acceperint, quod eorum exemplo alii huic tam utili studio se non impenderint, & quod jam tum in scholas nostras Magistri, qui authores græcos explicarent, eorumque linguam docerent, introducti non fuerint.

Etiam paucos quosdam Christianos invenio, qui hebraice sciebant, ut præter Robertum Arondelium Anglum illi duo, qui Parisiis anno 1248

Histor. Eccles. Tom. XX.

B ad

ad transferenda summa Thalmud ca-
Lib. 83. n. 5. pita adhibiti fuere. Sed hoc stu-
dium ad usum optimum, scilicet ad
intelligendum Sacri Codicis sensum
litteralem, & ad traditionum Judai-
carum cognitionem, quæ ad eundem
finem servit, applicitum fuisse non vi-
deo. E contrario harum traditio-
num memoriam extinguere placuit, ut
ex damnatione Thalmud apparet: nec
sentiebant Doctores nostri, sic laceffi
Judæos sine ullo fructu. Quidenim
volebant, cum hos libros flammis ab-
sumendos traderent? eos prorsus a-
bolere? Non a Judæis in Hispania
& in Oriente extra Christianorum
ditionem commorantibus conservari,
brevique intervallo & modico sumptu
cum aliis communicatum iri cogita-
bant? Id ipsum evenit, & Thalmud
tam bene est servatus, ut integer ac
sæpius typis impressus fuerit. Quem
Christiani avide in rem suam verten-
tes, omissis Rabinorum impiis fraudi-
bus, fabulis, & ineptiis, inde cognitu
dignissima excerpserunt, ut & sa-
cras litteras intelligerent, & Ju-
dæos

dæos propriis ipsorum armis impugnant.

Post grammaticam rhetoricæ datur opera in Academiis nostris, sed ea ratione, quæ stylum corrumpebat magis, quam illustrabat. Earum rhetorica in meris metaphoris & exquisitis figuris consistebat, simplicem ac naturalem dicendi modum sollicitè vitans: id quod illarum scripta intellectu difficilia reddit. Vide Innocentii III, ejusque successorum, aut Petri Blesensis, ac præcipue Petri de Vineis epistolæ, quæ tunc temporis tanquam exempla eloquentiæ, *pulchra dictamina*, in admiratione omnium erant. Hinc eum Malespinus in historia sua de Florentia bonum dictatorem appellat. Præsertim phrasæ Divini Codicis affectabant, nec sententiis suis confirmandis, qui usus testimoniorum legitimus est, sed indicandis rebus communissimis adhibebant. Sic in historia non dicunt simpliciter: unus talis mortuus est, sed: conjunctus est cum patribus suis, vel: ingressus est viam universæ carnis.

VI.

Rhetorica & Poësis.

Ricord. Malesp. c. 131.

B 2

Jam

Jam hæ phrasæ ex hebraico sermone totidem verbis translatae etiam latinitatem eorum vitiant: & timendum est, ne illas materiae aptandi gratia author quandoque mentem suam non aperuerit satis, & paulo plus minusve, quam volebat, dixerit.

Alius malæ illorum rhetoricæ fructus sunt loci communes, quibus ipsorum scripta abundant. Illæ molestæ præfationes, per quas diplomata, constitutiones, ac privilegia Principum inchoantur, & insulsa illa morum documenta, quæ sermonum librorumque piorum pagina quævis offert, & quæ suas theses generales ac nemini dubias ad res singulas non applicant, cum nulli sint emolumento: habemus sane, cur nos solemur de tot ejusmodi scriptis e sæculo XIII ac XIV nondum in lucem editis: nimis multa typis excusa sunt.

Ad Poëseos studium quod attinet, tam modicum tunc erat, ut pigeat meminisse. Credebatur sufficere, si mensura versuum latinorum & syllabarum quantitas vel imperfecte discerentur;

rentur: & pro poëmate habebatur historia ex ordine narrata verbis barbaris ac stylo humili nec a soluta dictione diverso, nisi quod numerorum necessitas expressiones minus genuinas quærere, ac voces inanes addere miserum authorem coëgerit. Inspice Vitam Mathildis Comitis a Domnifonio scriptam! Haud negaverim, Guntherum in suo Ligurino, & Guilielmum Bretonium in Philippide sua efferri paulo altius, & sensa sua politius proferre: sed vix habent, quod non debeant phrasibus, quas e veteribus integras exscripserunt. Obstricti tamen sumus his rudibus Poëtis, quod traditionem syllabarum longarum & brevium, ac latinorum versuum constructionem nobis conservaverint. Cæterum in operibus seriis illorum temporum nihil venustatis cernitur; & authores haud oblectabat pulchræ naturæ imitatio, quæ poëseos anima est.

Fictiones autem & fabulas multum amabant, infantibus similes, quos magis afficit admirabilitas, quam veritas.

VII.
Historia.

B 3

ritas.

ritas. Hinc ne patriæ quidem historiae studium in ipsis ullum. Quidquid videbant scriptum, recipiebant sine crisi, sine discrimine facto; nec ætatem, vel authoritatem scribentium examinabant, sed probabant omnia. Sic fabulam de Franco Hectoris filio, ac de Francorum e Trojanis origine amplexi sunt omnes historici nostri usque ad finem sæculi XVI: sic fuere, qui historiam Magnæ Britanniae usque a Bruto, Scotiae a Fergo, Hispanicam a Japheto, & alias ab aliis altissime repeterent. Quivis historicus aggrediebatur historiam universalem ab orbe condito ad suam usque ætatem, eoque congererat sine delectu, quidquid in libris ad manum positis invenerat. Tales erant Vincentius Bellovacensis, & Sanctus Antoninus Florentinus Archiepiscopus, quorum historiae pro ipsorum temporibus, tanquam prototypa, utiles sunt; quantum ad tempora priora pertinet, vix serviunt nisi ad perdiscendas fabulas de iis serio enarratas. Insuper memoratae historiae

storiæ universales fere solam Europam respiciunt, dimisso ex oculis Oriente a sæculi octavi initio, ubi Anastasius bibliothecæ præfectus annalibus suis finem imposuit.

Geographia non studiosius quam historia, cui tam conjuncta est, colebatur, cum in libris veterum duntaxat, ut si mundus a tempore Plinii ac Ptolomæi non mutasset faciem, disceretur, & in Palæstina totoque Oriente quærerentur loca Sacris in Litteris nominata, & inter alia tot abhinc sæculis eversa Babylon, cujus nomen modo Bagdetiæ, modo Cairo, novis urbibus dabatur. Unica solum convenientia faciebat, ut sine ratione diceretur Alephum pro Alepum, Caiphas pro Hiffa, & Corofania pro Corolania. Non consulebantur regionis incolæ, ut constarent locorum vera nomina, certusque situs; & in terris quidem, ubi bellum gerebatur, quod accuratissimam non geographiam tantum sed etiam topographiam postulat. Comperimus utique, quoties interierint Cru-

B 4 cigero-

cigerorum exercitus, quod malorum viæ ducum fidei innixi, montes ac deserta, aliaque impervia loca adierint.

VIII.

Sunt forfitan, qui dicant, humaniores litteras ob librorum raritatem neglectas, & animos ad scientias merræ ratiocinationis conversos fuisse. Videamus igitur, quomodo tractata sit philosophia, & a logica ducamus initium! Non tunc hæc, ut olim cum institueretur, ars erat recte ratiocinandi, ac veritatem per certissimas indagandi vias: erat facultas disputandi, & subtilitates infinitas afferendi in medium. Qui eam docebant, non tam erudire discipulos suos, quam eis admirationi esse, atque adversarios captiosis implicare quæstionibus volebant, pene similes veteribus sophistis, in quos Plato tam belle ludit. Joannes Salisburiensis, qui sæculo XII vivebat, queritur, quod aliqui vitam suam infumerent in logicam, & tractatui de universalibus totam infererent, quæ breve tantummodo eorum præludium esse deberet; alii cate-

*Euthyd.
Protag.*

*Metalog.
lib. II. c. 7.*

*C. 16. III.
c. 1. 2.*

categorias confunderent, eo quod mox in limine occasione substantiæ quæstiones omnes novem reliquis interponendas tractarent. Perpetuas ferebant lites de vocibus ac sensu negationum multiplicatarum: non nisi verbis arti propriis utebantur, nec credebant, se argumentum bene proposuisse, nisi id vocassent argumentum. Cunctis in quæstionibus, quæ cogitatione fingi possunt, versari cupiebant, & antecessores suos per omnia superare. Ita hic author testatur.

L. c. 36

Nititur idem exemplis Doctorum veterum, quorum scripta in omnibus bibliothecis habentur, quamvis ea pauci legant. Inspice primum Alberti Magni volumen! quantumcunque est, nihil id tamen præterquam logicam continere videbis: unde sine examine ulteriore poteris concludere, authorem multas illi materias alienas immiscuisse, cum Aristoteles, qui maxima accuratione, quæ ad hanc artem vere spectant, pertractavit, parvo illam libro complexus

B 5

fuerit.

fuerit. Plus dico: hæc tam extensa logica demonstrat, Albertum ipsum non fuisse bonum logicum, nec scite ratiocinatum esse. Debat enim considerare, quod logica sit introductio ad philosophiam, & instrumentum scientiarum, vitæque hominis sit brevis, præsertim si constringatur annis ad litteras idoneis. Jam quid sentires de homine curioso, qui ad visendum palatium magnificum tres horas nactus, unam in vestibulo transigeret? aut quid censes de artifice, qui ad opus perficiendum unicam habens diem, tertiam hujus partem ad præparanda, ornandaque instrumenta sua impenderet?

Videtur mihi Albertus insuper semetipsum simili modo debuisse alloqui: Decetne Religiosum & Sacerdotem in Aristotelem & commentatores ejus Arabes vitam infumere? Quorsum servit Theologo tam amplum studium physicæ generalis & particularis de cursu ac vi astrorum, de structura mundi, de meteoris, de fossilibus, lapidibus, & eorum cujuslibet

bet virtute? Non tantundem temporis subtrahō divini Codicis, Historiæ Ecclesiasticæ, & Canonum studio? Et post tot occupationes quantum mihi spatium supererit ad preces ac sermones sacros, quos instituti mei ratio postulat? Non me studiis saluberrimis a labore manuum impeditam credunt ii, de quorum stipe vivo? Idem Scoto, idem Alexandro Alensi, aliisque dicerem. Homines, qui Christianam ad perfectionem aspirare se profitebantur, meo iudicio perperam agebant, cum tantum temporis darent studiis cum Religione haud connexis, etiamsi bona in se ac solida essent. (*)

Sed

(*) Hæc crisis omnem excedit modum. Si Fleurio licuit hæc dicere tum Magno Doctoris Angelici Magistro, tum Doctori subtili, tum etiam Doctori Doctorum, utpote Divi Thomæ, Sancti Bonaventuræ, Scotique Præceptoris, etiam mihi licet Fleurio dicere illud Virgii: *Parcius ista Viris tamen objicienda memento!* Accuratissime quidem tractavit Logicam Aristoteles, sed libello comprehendit, ut Geographus tabella Regnum. Quando hic autem

tem

Sed multum aberat, ut essent tabula. Physica generalis pene nihil aliud erat, quam sermo receptus ad ea, quæ

tem singulis Regni provinciis singulas tabellas tribuit, aut omnes una cum finitimarum regionum partibus proximis in spatiosissimam tabulam refert, non ideo definit bonus esse Geographus. Ecce Albertus Magnus boni Logici famam amittat, quod singulas logicæ partes extenderit longius latiusque, & cum materiis affinibus in magno volumine fusius lectori atque clarius ob oculos posuerit? Sunt, qui tabellas & libellos ament. Sunt e contrario, qui tabulas & libros copiosos malint. Sunt etiam, qui & opuscula, & opera grandia cupiant, ac modo hæc, modo illa, prout res postulat, inspiciant. Ita comparati fere sunt artium & scientiarum Magistri. His, non discipulis scripsit Albertus. Logica dat aditum & servit ad omnes scientias: sic est. Atqui amplis palatiis ampla sunt vestibula: & instrumento communi deesse debet nihil eorum omnium, quæ vel necessitas exigit, vel sua commendat utilitas. Vitæ brevitatis non solet esse tanta & tam communis, ut per eam non permultis licuerit libros in multiplici genere scientiarum quam plurimos componere: sicut illi, quos Albertus ipse contexit, unum & viginti tomos, ut Gravesonius affirmat, conficiunt. Hinc utroque pede claudicat exempli utriusque cum materia nostra comparatio. Nam longissime aberat, ut Albertus tertiam virilis ætatis

quæ nemo nescit, verbis scientiarum propriis exprimenda; & physica particularis in fabulis potissimum & falsis opinionibus versabatur. Etenim
non

ætatis suæ partem logicæ dicaret. At enim tam diffusa Physica generalis & particularis Theologiam non juvat: esto! non ut Theologus, sed ut Philosophus illam scripsit. Etiam mathesis nihil eo confert: ergo Religioso & Sacerdote indigna est? minime. Reclamant tot Academiæ celeberrimæ, in quibus Religiosi Sacerdotes eam communi cum applausu tradunt. Hæ facultates a Religione alienæ non sunt, immo ei famulantur. Nam teste Apostolo ad Rom. I. v. 20. *Invisibilia Dei (attributa & perfectiones) per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas.* Sed & homines in sacram Alberti familiam benefici illius operam in philosophia multo melius quam in labore manuum collocatam censebant; e quo cognomen Magni nunquam adeptus esset. Scientias altiores & antea didicerat, & postea Superiorum jussu docturus erat, quorum ad nutum cum ageret omnia, errare non poterat. Ne sacris ad cœlum precibus quidquam detraheret, somno bonam noctis partem subduxit Vir piissimus, ac vel illis, vel studiis dedit suis. Paucis: dignus est, qui omnium vocibus scriptisque celebretur potius, quam censoriæ severitatis notam ferat.

non experientia, non natura confuli in se ipsa, sed in solis Aristotelis, aliorumque veterum libris indagari solebat. Ex quo rursus mala illorum Doctorum ratiocinatio liquet. Ut enim sic agerent, pro dogmate sumptis, necesse est, quod Aristoteles falli non potuerit, omniaque in ejus scriptis certissima sint. Sed unde securi erant? per evidentiam rei, aut per serium examen? Communis illorum error hic fuit, quod in quovis litterarum genere certo cuidam libro se adstringerent, præter quem nihil in ulla materia quærebant aliud. Tota Theologia e Magistro Sententiarum, totum Jus Canonicum e Gratiano, omnis sacrarum Litterarum intelligentia e Glossa, ut vocant, Ordinaria petebatur: hos callere libros, horum doctrinam argumentis peculiaribus applicare cuiusvis unice in votis erat. Nemini venerat in mentem explorare, unde Gratianus singula collectionis suæ membra deprompserit, & quanta autoritate per se ipsa pollerent; quænam essent primorum
Pon-

Pontificum Romanorum decreta illa, tam sæpe ab ipso adducta; an Hieronymi vel Augustini nomine allata reapse ex his Sanctis essent; quid ea in operibus, e quibus descripta sunt, præeat & sequatur. Ejusmodi disquisitiones esse inutiles, aut fieri non posse videbantur: atque in his ipsis Doctorum nostrorum ratiocinationem imperfectam, & logicam vitiosam fuisse dico. Nam ad ineundam rationem solidam nulli parcendum labori, & tamdiu discutienda res est, donec inveniatur principium lumine naturæ perspicuum, vel autoritate, quæ falli non possit, firmatum.

Hoc esset medium faciendi demonstrationes, & ad veram pertingendi scientiam: verum teste Joanne *Metall. III.*
 Salisburiensi vix aut raro adhibebatur. *c. 6. Sc.*
II. c. 13. Commendat is maximopere usum Topicorum Aristotelis, & notitiam veritatum probabilium, certas & necessarias, quæ nobis cognitæ sint, paucas esse affirmans. Fatetur etiam, Geometriæ in Europa parum studii fuisse impensum. Unde, ni fallor, *IV. c. 6.*
 lor,

lor, evenit, ut veteres Doctores nostri tam modicas demonstrationes, tam multas opiniones ac dubia libris infererent suis. Omnium primus Magister Sententiarum ubique his utitur verbis: Videtur; Est verisimile; Potest dici. Et tamen plusquam alii debebat decernere, quia sententias Patrum in speciem contrarias inter se conciliandas susceperat. Consentio, veritates maxime stabilitas modeste interdum posse proponi, ut fecit Socrates: hæc verborum moderatio non infringit, sed confirmat argumentum. Censeo quoque, bonam fidem vetare, nequid asseratur, quod nescitur. Sed contendo, Magistros proponendo dubia & opiniones instillando discipulis non consulere, ut hi fiant docti. Nonne satius foret, si quæstiones, quas decidendo pares non sunt, omitterent, ac moventem eas discipulum nimiae curiositati modum ponere juberent, dicerentque, cum opus est: hac de re nihil scio. Supprimendæ sunt materiæ, de quibus aliquid statuendi principia defunt.

Nec

Nec nisi solida gravioraque objici debent, qualia principiis, ac veritatibus demonstratis opponi nequeunt. Singularum conclusionum oppugnatio facit, ut quævis quæstio in utramque partem probabilis videatur. Ut bene res fieret, in controversiam vocanda non essent, nisi quæ vir acri valens iudicio reapse in dubitationem adducere posset.

Nam qui solum scit dubitare, nihil scit, & nihil minus est quam philosophus. Hominum plebejorum est opinari; id quod eorum fidem & agendi rationem incertam reddit ac levem, dum vel minimo veritatis radii mentis oculos perstringi sinunt, aut in errore obstinati hærent, quia vim contrariarum rationum non sentiunt. Vera philosophia nos docet advertere mentes ad principia manifesta, inde legitima deducere consectaria, & iis, quæ semel vera agnovimus, firmiter adhærere. Studium, quod dubitando assuefacit, simplice ignorantia pejus est; quia facit, ut vel is, qui scit nihil, scire aliquid, vel nihil omni-

no sciri posse credatur, in quo Pyrrhonismus consistit, nempe omnium pessimus animi sensus ab ipsa veritatis investigatione avertens.

IX.
Ethica.

Inter effectus, quos methodus topica, & veritates certas inveniendi desperatio habuere, maxime noxius fuit iste, quod in ethicam introduxerint opiniones probabiles, iisque auctoritatem conciliaverint. Nec melius hæc philosophiæ pars, quam cæteræ, in scholis nostris tractabatur. Nostri Doctores contendendo de omnibus, & cunctas verisimilitudines extollendo assueti, etiam in materia morum invenerunt aliquas, & suis vel aliorum cupiditatibus obsequendi gratia sæpe a via recta declinarunt. Hinc in recentioribus Theologis moralibus tanta est doctrinæ laxitas, cujus originem in sæculo XIII deprehendo. Doctores tunc contenti erant certo propositionum numero, quarum consuetaria sano iudicio aut Evangelio non semper consentiebant. Sed illi conciliabant omnia per distinctionum suarum subtilitates simillimas

mas iis, quibus ejusdem temporis Rabini utebantur. Ethica principia non omnia tam evidentia sunt, quam geometrica: & iudicium de rebus moralibus depravant impotentes animi motus; contra nullius interest, ut lineam rectam curvet, aut angulum obtusum diminuat. Sunt tamen etiam Ethicæ sua principia certa perinde (salva proportione) ut geometricæ: foretque error perniciosus, illam in legibus humanis & arbitrariis unice fundatam credere. Ratio cunctis hominibus eam audientibus dictat, quod non ipsi se aut mundum eos circumdantem fecerint, & quod detur suprema quædam Natura, cui, quidquid sunt, debeant. Ratio monet, ut, cum ejusdem sint naturæ, se invicem ament, sibi mutuo cupiant ac præstent bona, quæ possunt, omnia, non nisi vera dicant, pacta & promissa servent. Lex vetus ac nova grandia ista principia confirmavit, e quibus recte ratiocinando singula ethicæ dogmata deducuntur.

Hoc proin studium adhiberi debet ad illustranda illa principia & trahendas inde consequentias utiles, non ad examinandas quæstiones prævias, an practica sit ethica, vel theoretica, seu speculativa, ut ajunt; nec ad disputationes generales de fine ac mediis, de actibus & habitibus, de libero ac voluntario. Oportet, ut primum fieri potest, descendere ad singularia, & ad præcepta practica, nec immorari nimis virtutum & vitiorum definitionibus, ac divisionibus, quæ ornando ingenio, & implendæ memoriæ, quam tangendo animo, & mutantæ voluntati aptiores cum sint, faciunt, ut homo videatur doctus, nec fiat melior. Hic tamen ethicæ finis est unicus. Eleganter, aut indiserte dicas, loquaris aut fileas, si cui vitam probam persuadeas, bonus ethicæ Magister es. Contra si Angelico polleas ingenio, nec discipulos tuos probiores reddas, sophista es ac nugator. Nec habuit sæculum XIII excellentiores ethicæ Magistros, quam S. Franciscum, S. Dominicum, &

& primos eorum discipulos, ut B. Jordanum, ac B. Ægydium Assisinatem, quorum sententiis vel pulcherrima philosophorum apophtegmata posthabuerim.

Hi enim sancti viri ethicam non in Aristotele, aut in commentariis ejus, sed in ipso Evangelio quærebant, cujus in assidua meditatione, ut in usum id deducerent, defixos habebant animos, & præcipuum in precatione studium ponebant suum. Et vero mirum est, quod Christiani Sacras Litteras tenentes in manibus ad perdiscendam ethicam Aristotele sibi opus esse crediderint. Haud eo inficias, quod bene cognoverit mores hominum, de iis recte differat, & apta ferat judicia: sed ejus ethica nimis humana est (ut eam vocat S. Gregorius Nazianzenus) & ille contentus est ratiocinari secundum placita communia: unde fit, ut exempli causa virtutibus annumeret Eutrapeliam, quam S. Paulus inter vitia ponit (*). *Orat. 33. p. 535. Eph. V. 4.*

C 3

Itidem

(*) Eutrapelia derivatur ab εὐ τρέπειν *scite*

*Euseb. præ-
par. lib. 15.*

*Hist. lib. X.
S. 4.*

Itidem SS. Patres spernebant hunc philosophum, quamvis eum perbene intelligerent, præsertim Græci, præter communem linguam etiam traditionem scholarum ejus habentes. Nostri autem Doctores sæculi XII & XIII solebant eundem velut oracula loquentem colere, philosophum per excellentiam dicere, & in sermone tantum latino, ac sæpe in translatione ex Arabico facta legere: nec sciebant antiquæ Græciæ mores, aut facta, quorum Aristoteles interdum ex occasione meminit: hinc toties erravit Albertus Magnus libros Politicorum commentariis exponens.

Siquis philosophorum a Christianis attente legi merebatur, is multo potius Plato erat, cujus ethica nobilior est ac purior: quia præjudiciis vul-

scite vertere, quod ad ingenium pertinet vel bene vel male adhibitum. Apostolus pro scurrili joco, Philosophus pro urbano lepore accipit, & inter virtutes haud immerito refert. Certe *omnia tempus habent*, ut ait Ecclesiastes c. 3, v. 1. & *datur tempus ridendi* v. 4. quo tempore Eutrapelia inter petulantiam & morositatem medium tenet.

vulgaribus detineri se non finens, ad prima usque principia redit, ac perfectissimum semper indagat. Propius etiam, quam quisquam alius, accedit ad sententias Evangelicas, ideoque sæculorum primorum Patribus magno fuit usui, non ad condiscendam ethicam, quam melius per traditionem Ecclesiæ edocti erant, sed ad conjungendos Christo ethnico, apud quos philosophi hujus authoritas grave habebat pondus. Quantum ad veteres Doctores nostros attinet, cum nullum Platonis locum, nullum ejus opus figillatim memorent; non ipsis cognitum fuisse credo, nisi per Aristotelem aliosque antiquos, qui mentionem de illo faciunt.

Jam de scholarum nostrarum ethica judicemus ab effectis, volo dicere, a moribus docentium discentiumque. In Magistris video multum ostentationis & vanitatis, per quam opinionibus suis adhærebant. Nam quibus e fontibus manare poterant tot inutiles quæstiones, tot subtilitates frivolæ, tot distinctiones futiles? S. Augusti-

X.
Mores Academicorum

*I. Cont.
Acad. 3, n. 8.*

gustinus ne in discipulis quidem suis ea ferebat vitia. In quodam primorum operum fuorum refert disputationem duorum juvenum, quos erudiebat, Trigetii ac Licentii. Horum prior, *licetne*, ait, *redire ad id, quod leviter concessum fuit?* Respondet Sanctus: *Non licet inter eos, qui non veritatis perquirendæ, sed ingenii pueriliter ostentandi gratia disputant. Quod ad me, non solum id permitto, sed & jubeo.* Et Licentius addit: *In philosophia non parum profecisse videtur is, quem magis juvat invenire veritatem, quam in disputando palmam referre; quare lubens pareo.*

Alia occasione cum Trigetius protulisset propositionem, cujus ipsum pudebat, noluit eam scribi. Nam in doctis illis colloquiis S. Augustinus litteris mandari curabat, quidquid ab utraque parte dicebatur. Licentio ruborem socii ridente, Augustinus, *itane*, inquit, *agere decet? non sentitis nostrorum pondus criminum* (catholicam tunc quidem religionem amplexus, sed nondum aqua vitali tinctus

etus erat) & ignorantiae nostrae te-
 nebras? Quodsi saltem oculis tam in-
 firmis, quales mei sunt, videretis, quam
 insanus sit iste risus, mox eum verte-
 retis in lachrymas. Miseriam meam
 ne augeatis, precor, satis mea me mala
 gravant, quorum remedium a Deo
 quot diebus flagito, quamvis me agno-
 scam indignum, ut illud tam cito obti-
 neam. Si amicitiam mecum aliquam
 colitis, si capitis, quantum vos amem,
 & quanto ardore vobis idem, quod
 mihi, bonum cupiam, hoc mihi favo-
 ris exhibete! Si animis sinceris ve-
 strum me Magistrum vocatis, merce-
 dem mihi persolvite, virtuti operam
 date! Plura ne diceret, fletus pro-
 hibebat. Nec Doctores tamen, nec
 Clerici erant, quibus ita loquebatur,
 sed juvenes discipuli, ne primis qui-
 dem Christianorum sacris initiati.
 Vide epistolam ejus ad Dioscorum, *August. Ep.*
 in qua solide monstrat, Christiano pa- *118. al. 56.*
 rum sollicitudinis convenire, ut creda-
 tur doctus, vel opiniones veterum
 philosophorum reapse sciat.

*Orat. 29.
init. 33.
p. 530.*

*Hist. lib.
XVII. §. 52.*

*Greg.
Thaum. in
Orig. p. 62.*

*Hist. lib. V.
§. 56. IV.
§. 37.*

*Hist. lib.
LXXV.
§. 26.*

*Hist. lib.
LXXVI.
§. 60.*

*LXXVIII.
§. 39.*

*LXXIX.
§. 47.*

Lege præparationes, quas S. Gregorius Nazianzenus exigit ad loquendum de Theologia; non dico, ad docendam eam, vel rite percipiendam, sed simpliciter ad facienda verba de materiis Theologicis. Potes inspicere methodum, quam sequebatur Origenes adsciturus Christo homines litteratos, & ad religionem solide addiscendam habiles redditurus. Denique Pædagogus S. Clementis Alexandrini ostendit, quanta cura omnes tunc Christiani generatim præpararentur ad doctrinam Evangelicam, semperque conversio morum pro fundamento poneretur.

Ausimne post hæc in memoriam tibi revocare mores nostrorum studiosorum talium, quales in historia secundum testimonia Scriptorum illius temporis depinxi? Scis, eos quotidie manus & inter se, & cum civibus conferuisse; per prima eorum privilegia fuisse vetitum, ne Judices profani ipsorum crimina cognoscerent; Summum Pontificem coactum fuisse Abbati ad S. Victoris facere copiam

piam restituendi eos sacrorum communioni, qua per Canones privantur Clericorum percussores; illorum jurgia plerumque in caupona ex calore vini nimio plus hausti cæpta ad extremam vim & ad cædes usque grassata esse. Demum vidisti horribilem *Hist. Ecc. c.7*
 illorum descriptionem a Jacobo Vi- *Hist. Ecc. lib.*
 trio teste oculato factam. Interea *LXXVI.*
s. 60.
 omnes hi studiosi erant Clerici ad serviendum Ecclesiis, vel ad eas regendas destinati.

Probe intelligo, ad hujusmodi corruptelas non contulisse nihil Academicarum constitutionem: habebat enim ut suos fructus, quos initio notavi, sic etiam incommoda sua. Difficile erat in arcta disciplina continere hanc multitudinem juvenum in ætate fervidissima, quippe jam ex ephēbis excefferant, qui studebant literis. Congregati e diversis regionibus, & per nationum, linguarum, propensionum varietatem jam divisi, procul a parentibus, Episcopis, ac Dominis suis non eadem observantia colebant Magistros peregrinos, sæpe obscuro

obscuro & humili genere natos, quibus mercedem tribuebant. Denique ipsi Doctores inter se discrepabant, tum per opinionum dissensionem, tum per angorem aliquorum, quibus pauciores adhærebant, illis, quos plures sectabantur, invidentium: atque his diffidiis etiam discipuli implicabantur. Perspicuum rei exemplum memineris in pervulgata illa contentione Religiosos mendicantes inter ac Doctores sæculares, quorum caput erat Guilielmus de Sancto Amore. Quam callidis isti artibus, quam mala fide litigabant, quot calumnias stringebant in adversarios! An vero Religiosi non egissent melius, si eruditione contenti sua, nec Doctorum titulum aucupati, Aulæ Romanæ & Gallicæ favoribus minus essent usi?

Aliud in Academiis incommodum evenit ex eo, quod Magistri ac discipuli non essent occupati, præterquam studiis suis: omnes erant Clerici; multi fruebantur Sacerdotii censu, sed extra suas Ecclesias, sine functionibus ac exercitijs Sacrorum
Ordi-

Ordinum. Ita negligebant ea omnia, quæ pendent e praxi, modum tradendæ doctrinæ christianæ, administrandi divina myſteria, gubernandi animas: didiciſſent vero in patria, ubi Episcopum ac Sacerdotes vidiffent obire munia ſua, & ſub eorum ductu ſervitutem ſacram ſerviiffent. Doctores Academiarum Doctores duntaxat erant, ſoli theoriæ intenti: id quod eis tantum temporis ad ſcribendum, & ad tractandas tam fuſe quæſtiones inutilis, atque tot occaſiones æmulationis, & diſſidiorum dabat, cum alii alios argutiis antevertere, ac res ſubtilius expendere vellent. Primis ſæculis Doctores erant Episcopi, occupationibus magis feriis obruti. Vide epiſtolam S. Auguſtini ad Dioſcorum ſuperius a me laudatam!

Tranſeamus ad altiora ſtudia, & a Theologia ordiamur! Tradebatur ſemper eadem doctrina in ſe ſpectata; nam JESUS Chriſtus nunquam ceſſavit Eccleſiæ ſuæ ad præſidium præſto eſſe, ut ſpoſondit: ſed illam docendi modus permiffus nævis fuit.

Inter

XI.
Theologia
poſitiva.

Inter omnes convenerat, Theologiæ fundamentum esse divinos libros secundum Ecclesiæ traditionem intellectos: sed mystico magis, quam literario sensui adhærere lubebat, sive ob corruptum ætatis gustum, qui simplicia & naturalia omnia fastidiebat, sive ob difficultatem Sacri Codicis ad verbum interpretandi, ortam ex ignorantia linguarum originalium Hebraicæ nimirum & Græcæ, historiæque ac morum tam remotæ antiquitatis. Facilius erat iis, quæ latebant, mysticos sensus dare: & ista Sacras Litteras exponendi ratio magis placebat nostris Doctõribus acutius omnia excutere solitis.

Non me fugit, sensus figuratos quovis tempore in Ecclesia valuisse; occurrunt nobis in primorum sæculorum Patribus, ut in SS. Justino & Clemente Alexandrino; occurrunt in ipso Codice sacro, ut allegoria de geminis fœderibus per duas Abrahamæ uxores significatis. Sed cum epistolam S. Pauli ad Galatas non minus quam librum Genesis instinctu divi-

no scriptam esse sciamus, æque securi fumus de historia & hujus applicatione, quæ illius in epistola memorata loci sensus est litterarius. Aliter loquendum de sensibus figuratis, quos in Origene, S. Ambrosio, & S. Augustino legimus: illi enim dici possunt peculiare horum Doctorum cogitationes, nisi antiquioris traditionis autoritate nitantur. Nec sequi tenemur ejusmodi expositiones, nisi quatenus includunt veritates conformes illis, quas alibi Scriptura offert spectata in sensu litterario. Hic est, qui semper adhiberi debet stabiliendo dogmati: hic solus est, qui disputanti pro demonstratione servire possit.

Ex Patribus latinis omnibus non video quemquam, qui in sensibus figuratis ita sit frequens, ut S. Gregorius, merito tamen inter præcipuos Ecclesiæ Doctores semper numeratus, præsertim in Anglia, quæ eum quasi Apostolum colit suum. Porro Anglia Germaniæ & Galliæ per sæculum VIII & IX Doctores dedit.

dit. Hæc forsitan est ratio, cur scholas nostras subierit amor allego-
riarum cum reverentia erga S. Gregorium,
& assidua ejus operum lectione con-
junctus. Sed ille gustus non est res
utilissima ex iis, quæ ibi continen-
tur: multo majus emolumentum pa-
rient ejus epistolæ, disciplinam ve-
rasque regulas regiminis Ecclesiasti-
ci tam bene pertractantes.

Cum sensus figurati essent in pre-
tio, nominum priorum significa-
tio ac etymologia sollicitè quæreba-
tur, ibi mysteria inveniendi causa:
sed illa indagatio bene vertere non
poterat, nisi cognita prius linguarum
natura, litterarumque ac pronuncia-
tionum convenientia. Præterea ex
significatione nominum cognosci qui-
dem, cur sint imposita, sed nulla con-
sequentia deduci potest. Illa vero
Scripturam sic explicandi licentia eo
usque progressa est, ut eam apud in-
geniosos homines de religione male
edoctos in contemtionem adduce-
ret: habebant eam pro libro, qui
nequiret intelligi, per se ipsum nihil
signi-

significaret, & interpretum ludus esset. Religiosiores alii eam legere non audebant ex desperatione eandem intelligendi sine auxilio tot commentariorum, quibus Indies onerabatur, & quos ad penetranda ejus mysteria necessarios putabant. Sic & contemptus, & veneratio Sacrae Scripturae fecerunt, ut ejus studium ommitteretur.

Allegoriis omnium maxime abusi sunt illi, qui ex eis principia statuerunt ad trahendas inde consequentias vero Scripturae sensui contrarias, & ad nova dogmata fundanda: talis est notissima illa de duobus gladiis allegoria. JESUS CHRISTUS tormentis proximus ad discipulos suos dicit, eos opus habere gladiis, ut vaticinium impleretur affirmans, eum inter malos numeratum iri. Subjungunt illi: *Ecce duo gladii hic!* Ipse reponit: *Satis est.* Sensus litterarius est evidens. Sed allegoriarum amantibus placuit asseverare, quod hi duo gladii pariter e materia constantes denotent duas potestates, quæ orbem

XII.
Abusus Allegoriarum.

Luc. XXII.
38.

Hist. Eccles. Tom. XX.

D ter-

terrarum regunt, sacram & profanam. Quod Christus dixerit: *Satis est*, & non: est nimium, ut indicaret, eas sufficere, sed utramque necessariam esse. Quod ambæ pertineant ad Ecclesiam, cum ambo gladii inter manus Apostolorum sint: sed quod Ecclesia per semetipsam solummodo sacram exerceat potestatem, profanam vero per manum Principis, & huic illius usum permittat. Quod ideo Christus ad Petrum dicat: *Mitte gladium tuum in vaginam!* ut si diceret: tuus est; sed propriam manum ei admoveere non debes: Principis est, ut eum stringat te jubente ac gubernante.

*Joan.
XVIII. 11.*

Interrogo quemvis hominem sano judicio præditum, an talis explicatio non sit lusus ingenii, & an ratiocinationem seriam stabilire possit?

Gen. I. 16.

Tantundem assero de allegoria duorum luminarium, geminis itidem potestatibus sic applicata, ut Sacerdotium sit luminare majus, & solis instar luce propria illustret; Imperium autem sit luminare minus, & instar lunæ

lunæ non habeat lucem ac vim nisi adscitam. Siquis his Scripturæ applicationibus inniti, & inde confectaria trahere velit, ea simpliciter negare nobis integrum est, ac reponere, quod in his locis tanquam mere historicis mysterium nullum sit quærendum; quod illa duo luminaria sint sol & luna, & nihil aliud; quod illi duo gladii sint duo enses bona instructi acie, ut ferrum S. Petri. Nihil amplius unquam demonstrabitur.

Interim hæ duæ allegoriæ tam frivolæ sunt grandia illa argumenta eorum omnium, qui a Gregorio VII Ecclesiæ in Principes plenissimo jure imperantes potestatem etiam quantum ad res profanas attinet, tribuerunt contra expressa Scripturæ verba & constantem traditionem. Nam JESUS Christus clare sine figura & sine parabola dixit: *Regnum Jo. XVIII. meum non est de hoc mundo.* Et alibi: *Reges gentium dominantur eorum: Luc. XXII. vos autem non sic.* Non datur vel 25. 26. astutia, vel ratiocinatio, quæ possit eludere tam plana testimonia. Et

D 2 vero

Gelas. ep. 8.
Hist. lib.
XXX. §. 31.

vero per septem minimum vel octo
sæcula secundum litteram accepta
sunt, nec in mysterium versa. Vi-
dimus, omnes veteres & inter alios
S. Gelasium Romanum Pontificem
aperte distinxisse duas potestates il-
las; & quod majus est, hanc doctri-
nam deduxisse in usum, Episcopos-
que ac summos Pontifices ipsos Re-
gibus & Imperatoribus etiam ethni-
cis ac hæreticis, quantum ad res pro-
fanas spectabat, omnino paruisse.

Hist. lib.
LXVII.
§. 26.
Godef.
opusc. 4.
Polycrat.
lib. IV. c. 3.
Hist. lib.
LXX. §. 85.

Primus author, in quo allegoriam
de duobus gladiis invenio, est Gode-
fridus Vindocinensis initio sæculi XII.
Joannes Salisburiensis illam eo pro-
vexit, ut affirmaret, Ecclesiam, cum
gladium Principi dederit, tenere jus
eum ipsi adimendi: & quia insuper
docet, non licitam solum, sed lauda-
bilem esse cædem tyranni, facile ap-
paret, quo usque progrediantur illius
doctrinæ consecraria. Plerique Do-
ctores ejusdem sæculi insistebant al-
legoriæ de duobus gladiis: & quod
magis mirere, ipsi Principes una cum
suis adversus Romam defensoribus

NOB

non eam rejiciebant, consequentias ejusdem coërcere contenti. Hic erat effectus crassæ laicorum ignorantiae, eos in omnibus, quæ ad litteras & doctrinam pertinebant, Clericorum mancipia reddentis. Illi vero Clerici eisdem in scholis eruditi eandem doctrinam e libris iisdem hauserant. Sic Imperatoris Henrici IV contra Summum Pontificem Gregorium VII propugnatores, ut legimus, solummodo afferebant, illum non potuisse sacro feriri fulmine, alioquin imperio privandum confessi. *Lib. XXXI. §. 21.* Fridericus II Concilii universalis judicio se *LXXXII. §. 34.* submittebat, si adscriptorum sibi criminum, præsertim hæreseos convictus esset, dignitate se sua merito exuendum haud negabat. Qui S. Ludovico a consiliis erant, nihilo magis sapiebant, Fridericum, si reus esset, deserendum rati. Vide, quo usque procedant malorum studiorum effectus!

Malum enim principium semel positum, cum ad usum redigitur, malas sine numero consequentias trahit,

ut hæc de Ecclesiæ in res profanas potestate sententia. Postquam recepta est, exteriorem Ecclesiæ faciem mutatam vidimus. Episcopi tum non precibus & improborum conversione se occuparunt, sed pacis aut fœderum consilia Principibus suggerendo, eos ad bellum contra hostes Ecclesiæ stimulando, vel etiam pœnis sacris, ac sæpe armorum vi cogendo. Ad has pias expeditiones necesse fuit pecuniam tanquam belli nervum e Clero populoque elicere pœnas tum sacras (censuras vocant) comminando, tum pro peccatis debitas remittendo. Ita hæc negotia generalia illis peculiaribus, quæ suæ cuique possessiones facebant, jungentes, & contra interdictum Apostoli occupationibus profanis obruti, Ecclesiæ utilius servire se credebant, quam si munera sibi propria implevissent.

2. Tim. 11. 4.

XIII.
Traditio.

Redeamus ad Theologiæ studium! Præter Scripturam traditione nititur; quæ ut caput doctrinæ Christianæ, sive articulum fidei stabiliat,

biliat, debet esse perpetua & universalis, omni tempore recepta, & omnium Ecclesiarum quæstionem examinatam perspicientium assensu confirmata. Talia sunt illa dogmata, quæ symbolis aliisque conciliorum generalium decisionibus, aut fide dignis plerorumque ab ortu Ecclesiæ Doctorum scriptis continentur. Itaque rejiciendæ sunt omnes putatæ traditiones in operibus supposititiis, aut in sententiis singularibus vel novis fundatæ: novum autem hac in materia dicitur, quidquid post Apostolos natum scimus. Nam, ut Tertullianus *Præscript.* loquitur, haud licet nobis invenire, *c. 6. 8.* immo nec quærere nova post Evangelium. Quare nulla ratiocinatio *Hist. lib. V.* Theologica fulciri potest operibus *§. 2.* supposititiis (e quorum numero sunt Isidori Decretales, ut vocantur) nec ullius Doctoris quantumvis aliunde venerabilis opinione privata, qualis est illa Millenariorum per quosdam veteres propagata. Denique cum de opinionis initio constat, vel ideo *Hist. lib. III.* *§. 15.* certum est, nunquam declaratum iri, *Lib. VII.* *§. 51.*

D 4

quod

quod illa sit de fide (ut cum scholis loquar) quidquid opponant illi, qui refragando maxime incalescunt: quia de fide est, Ecclesiam nunquam esse credituram nisi ea, quæ semper credidit, quamvis illa explicare possit clarius, quando id necessarium iudicet. Operam ludunt, qui ratiocinantur, ut ostendant, rem ita se habere debuisse, atque id, quod asserunt, divina bonitate vel sapientia esse dignius: demonstrandum est, quod **DEUS** id voluerit, ac nobis patefecerit: demonstrandum, non quod Ecclesia id debuerit credere, sed quod reapse crediderit.

Traditio fit per informationem viva voce traditam: sed ut nulla oblivione deleatur, plurimum juvant sacræ litteræ. Prospexit etiam hac in re **DEUS** Ecclesiæ suæ. **S. Joannis** Evangelistæ ac **S. Polycarpi** ejus discipuli diuturna vita effecit, ut traditio deveniret ad **S. Irenæum**, qui eam tam solícite conservabat sua in memoria, & ad sæculi secundi finem vivebat. Magnam illius partem

*Hist. lib.
XIV. §. 17*

*I. Strom.
§. 274.*

tem in scriptis reliquit suis, ut S. Cle- *Hist. lib. IV.*
 mens Alexandrinus, pariter Magi- *§. 36.*
 stros nactus, qui viderant Apostolos;
 id quod istorum aliorumque I ac II
 sæculi Patrum libros tam pretiosos
 reddit. Eadem Dei providentia per
 intervalla nobis dedit alios SS. Do-
 ctiores, fideles traditionis apud se de-
 positæ custodes, quibus curæ fuit
 eam ad successores suos transmittē-
 re: & hinc e sex primis sæculis tot
 scripta Patrum accepimus. Verum
 hi thesauri nihil emolumenti afferunt
 illis, qui eos vel ignorant, vel negli-
 gunt.

Atqui hæc erat infelicitas Docto-
 rum sæculi XIII & XIV, quod pau-
 ca cognoscerent opera Patrum præ-
 cipue antiquissimorum, ac necessariis
 ea bene intelligendi mediis carerent.
 Libri non erant perdit, sed existe-
 bant, cum etiamnum eos habeamus:
 sed exemplaria illorum rara, & in
 bibliothecis veterum cœnobiorum
 abdita, ibique modico ufui erant.
 Ibidem S. Ludovicus Rex illos quæ- *Hist. Lib.*
 ri, describique ac multiplicari iussit *LXXXIV.*
 non *§. 4. 5.*

D 5

non

non sine magno studiorum emolumento. Hinc in lucem prodiit Vincentii Bellovacensis grande illud opus, ubi exempla tot Authorum veterum etiam profanorum exscripta videmus. A sæculo priore magnum numerum eorum in scriptis Joannis Salisburiensis laudatorum conspiciamus: sed hæc privatorum quorundam curiositas erat. Studiosorum, immo etiam Dōctorum plerique paucis utebantur libris, quos recentiores fere authores exaraverant: hos enim quam veteres melius intelligebant.

Oportet meminisse, quod illi, qui eo tempore litterarum studia potissimum exercebant, Religiosi mendicantes fuerint. Per austeram vero paupertatem, quam profitebantur, vix eis licebat libros, qui magno tunc pretio constabant, emere: vitæque actiuosa, & cœnobio minime affixa non iis permittebat spatium illos sua manu describendi, ut faciebant monachi dotati, ac ætatem domi agentes, quibus illa occupatio per multa
sæcula

ſæcula peculiaris erat. Hæc ſine dubio cauſa fuit, ob quam novi Theologi tantopere amabant ratiocinationem, quæſtiones curioſas & ſubtilitates, quæ ſolum ingenium ſine lectione, ſine factorum examine poſtulant.

Sed non conſiderabant, hæc ſtudiorum ratione ſenſim ſine ſenſu traditionem diſciplinæ corrumpi. Si-
ne accurata factorum notitia volentes exempli gratia de divinis myſteriis ſive Sacramentis diſſerere, ſumebant pro certo, hæc eodem ſemper modo adminiſtrata eſſe, quo ea ipſorum ætate procurari cernebant; & interdum meras ceremonias, ut uncti-
onem & traditionem calicis in conferendo Sacerdotio pro rei capite habebant, cum tamen hoc in manuum im-
poſitione conſiſtat. Sic Græci videbantur adigendi ad quatuor Ordines minores ante majorem ſuſcipiendos. Sic etiam neceſſarium putabatur habere aras portari ſolitas & ornamenta in longiſſimis etiam itin-
eribus, & in ſacris expeditionibus ſi-
ve

ve

ve missionibus remotissimis. Antiquitatis ignorantia est, quæ fecit, ut hæ regulæ crederentur sanctissime observandæ, cum interim ponderosiores aliæ negligenterentur.

Mirum tamen, per tempora tam infelicia & in tanta suppetiarum raritate Doctores nobis tam fideliter conservasse depositum traditionis, quantum ad doctrinam spectat. His debitam laudem libenter tribuo, & ascendens sublimius deprædico pro viribus illum, qui, ut promiserat, nunquam cessavit Ecclesiam tueri suam. Peto solum, ut illi Doctores in suo ponantur gradu, nec extollantur altius; ne dicantur attigisse perfectionis apicem, ac debere nobis exemplo esse; demum, ne primorum sæculorum Patribus præferantur.

XIV.
Fama do-
centium,

Magnifici tituli Doctoribus quibusdam adscripti sequentia fallebant sæcula. Albertus dicebatur Magnus, veluti si tantum eminisset inter Theologos, quantum Alexander inter Belliduces. Scotus vocabatur Doctor subtilis

fubtilis. Aliis adjecta sunt epitheta: *Irrefragabilis, Illuminatus, Resolutus, Solemnis, Universalis*. Sed ne nos fascinent hi grandes tituli, videamus, an non potius eorum, qui hos dabant, malum gustum, quam eos gerentium merita demonstrent: ex illorum libris, qui nostris sunt in manibus, de re judicium feramus? Ad me quod attinet, fateor, in Alberti operibus me nihil magnum, præterquam voluminum granditatem ac numerum conspiciere.

Revocemus in memoriam, hos Theologos floruisse eo tempore, cujus cætera monumenta omnia nobis nullo sunt in pretio, saltem si cum celebri antiquitate comparentur. Cogitemus ætatem veterum Romanorum, quorum exempla descripta in Fochetio habemus; ætatem Joinvil-*Hist. Poët.* lii & Villarduini, quorum historiæ quantumvis utiles ac ex nativo lepore suo jucundæ, nobis videntur rudes; ætatem ædificiorum Gothicorum, quæ plena parvis ornamentis
tam

tam parum placent, ut ea imitari architectorum nemo voluerit. Rite autem observavimus, in quovis sæculo certum regnare gustum, in omnia operum genera diffusum. Quidquid nobis restat ex antiqua Græcia, solidum, venustum, ac exquisiti gustus est: ædificiorum, statuarum, numismatum reliquiæ ejusdem in genere suo characteris sunt, quem habent scripta Homeri, Sophoclis, Demosthenis & Platonis: ubique regnat bonum judicium, & pulcherrimæ naturæ imitatio. Nihil habent simile, quæcunque nobis supersunt ab occasu Romani Imperii usque ad dimidium sæculi XV, quo scientiæ artesque liberales erigere se cæperunt dissipatis tenebris, quas populi Septentrionum Europæ toti obduxerant.

Hinc destruitur præjudicium fati frequens, quod scientiæ semper perficiantur magis, quod inventis addere sit facile etiam mediocri ingenio, & quod nanus in gigantis humero sedens longius videat, quam gigas ipse. Admitto generales has propositiones

fitio-

sitiones: sed nostræ materiæ applicari posse nego. Illi, qui doctrinæ ac methodo veterum addere velit, perfecta ejus cognitio opus est, quæ vero deerat nostris Doctoribus, ut paulo ante dixi: sic pumilio in terra positus modicum habebat prospectum. Præterea scientiæ & artes, quæ indies perfectiores evadunt, humanæ sunt inventiones: sed vera Religio est opus Dei, à quo integram suam perfectionem mox accepit. Apostoli & discipuli eorum doctrinam salutis omnem, eamque tradendi modum optimum callebant.

Sed nonne verum est, scholasticos invenisse commodiorem, accuratior-^{XV.} Methodus
scholastica.
tioremque Theologiæ docendæ methodum? nonne solidior est certiorque illorum stylus, quam plerorumque veterum? Hoc dici equidem sæpe audivi, sed affirmare nequeo: nec unquam mihi persuadebitur, usque ad sæculum XII in scholis christianis nullam fuisse methodum. Credo, me^{n. 14. 15.}
id demonstrasse secunda Dissertatione
ne

ne mea, ad quam redire tibi placeat, velim. Verum est, plerosque veterum integrum Theologiæ corpus conficiendum haud suscepisse, ut fecerunt Hugo de Sancto Victore, Hildebertus Turonensis, Robertus Pullus, & tot alii eorum exemplo. At tamen in quibusdam suorum operum totam Religionis ideam nobis dederunt; ut S. Augustinus, qui suo Enchiridio omnia, quæ credenda sunt, eaque docendi modum libro doctrinæ christianæ complectitur. Etiam doctrinæ compendium videmus in expositionibus symboli, & in catechesibus, ethicæ vero epitomen in aliis quibusdam tractatibus, ut in Pædagoogo S. Clementis Alexandrini.

Quid ergo antiquis deest? forte quod non quivis eorum cursum Theologicum integrum dederit, easdem semper materias definire ac dividere, easdem rursus quæstiones tractare incipiens? Fateor, hodiernos id egisse, sed melius docuisse Religionem non video. Hujus methodi effectus,

fectus, qui maxime sub sensum cadit, est, quod orbem innumeris repleverit libris tum impressis, tum etiamnum manu scriptis, qui grandibus in bibliothecis perpetuo quiescunt, cum nec utilitatem habeant, nec decorem, quo lectores alliciant: quis enim hodie Alexandrum Alensem, vel Albertum Magnum legit? Difficile captu est, quomodo authores, quorum multi senium non attigere, tam multa scribendi spatium invenerint: timendumque, ne tanto brevius ad meditando adhibuerint.

Si volebant, ut est verisimile, geometricam tenere methodum, debebant ordiri a principiis æque certis, ac sunt eorum definitiones & axiomata, scilicet in materia theologica ab ipsis Scripturæ locis, vel a propositionibus lumine naturæ notis. Observavimus autem, Doctores nostros Scripturam sæpe in sensibus figuratis & impropriis exponere, ac pro principiis sumere axiomata malæ philosophiæ, vel cujusdam scriptoris profani testimonia. Confectaria talibus

Histor. Eccles. Tom. XX. **E** e prin-

e principiis deducta cum non concludant, salva fide ac recta ratione negari possunt, ac ejus modi argumenta solam ratiocinationis speciem habent. His contentos tamen homines nimium multos etiamnum cernimus, qui nihil discunt nisi memoriter, & ratiocinari se credunt, dum repetunt argumenta memoriæ mandata, quæ boni judicii trutina non examinarunt. Rationes proin meliores sed sibi novas rejiciunt, nec aliter, ac consueverunt, judicant.

XVI.
Stylus do-
centium.

Geometrarum non methodum modo, sed etiam stylum nullo præditum succo, nulla varietate gratum imitati sunt Doctores nostri: nec considerabant, in studio geometrico persuasionem ingenii per figuras foveri, philosophicis autem in materiis ac præsertim in ethica non fulciri nisi per exempla, vivasque affectuum, virtutum ac vitiorum picturas. Sed nec docentis mores exhibet aridus ille stylus, quo etiam homo scelestus uti potest de ethica differens. Cæterum non sum ferendo, eam scribendi

di rationem in Magistris insuper laudari tanquam breviorē simul ac solidiorē. Haud negaverim, stylum dogmaticum debere simplicem esse, ac præter claritatem brevitatemque ornamentum ei nullum quærendum. Sed huic simplicitati sua gratia, sua dignitas est. Abjecta, rudia, languida nihil unquam profunt. Simplicitas styli dogmatici non impedit puritatem linguæ ad illum adhibitæ: immo qui melius loquitur, intelligitur facilius: & nihil est minus idoneum ad docendum, quam singularis dictionis affectatio, quæ studio præcipuo prævium sermonis studium superaddit. Scio, cuivis scientiæ, cuivis arti sua esse verba propria, plerisque hominum ignota: sed non sunt applicanda præterquam rebus, quibus in lingua vulgari nomina desunt, quia plebs eas non cognoscit, vel non attendit.

Ars interpretandi scuta gentilitia, five ars Heraldica, versa in scientiam mysticam, cujus tota fere summa est rebus communissimis nomina extra-

ordinaria imponere, sicut & illud, quod laudi daretur dicere *gueules*, & *sinople* pro *rouge*, ruber, & *vert*, viridis, patrum nostrorum inscitiam indicat. Idem affirmaverim de modis loquendi venaticis, aliisque similibus, qui memoriam onerant, ingenium non illustant.

Hoc autem in vitium delapsi sunt scholastici, dum sibi cudebant dictionem singularem, ab omnibus linguis vulgaribus & a vera latinitate distinctam, quamvis ab hac ortam. Necessesse tamen non fuit, cum quilibet philosophari possit sua bene loquens lingua. Opera Aristotelis optime græce, philosophica Ciceronis perbene latine scripta sunt: & ultimo sæculo Descartius doctrinam suam clara sermonis gallici puritate exposuit, styloque brevi & accurato, qui dogmatici exemplum esse potest. Non igitur materia petiit hoc dictionis genus, sed sæculi XIII ac sequentium malus gustus in scholas nostras introduxit.

Alius

Alius error est credere, quod aridus, adstrictus, & unius per omnia formæ stylus brevior sit & clarior sermone ordinario & naturali, in quo libertas sumitur variandi phrasas, & quasdam figuras applicandi. Hic stylus, ut ita dicam, in proplasma fusus pressusque longior est, præterquam quod fastidium creet, cum in quavis pagina eadem repetantur formulæ, exempli gratia: De hac materia tres fiunt quæstiones: Ad primam sic proceditur: sequuntur tres objectiones: deinde: Respondeo, dicendum: Postremo veniunt responsiones ad opposita. Diceres, authorem inevitabili necessitate cogi, ut eodem semper modo loquatur. Iterantur in qualibet linea verba artis propria: propositio, assertio, probatio, major, minor, conclusio, & cætera. Hæ autem repetitiones longius producant ratiocinationem. Unde venerint, bene video. Majores nostri erant oppido rudes quinque aut sex abhinc sæculis: litterarum studiosi per ea tempora non scivissent oppo-

fitionem, five objectionem a probatione distinguere, nisi res ipsis veluti digito monstrata esset: oportebat suo quæque nomine appellare: en objectio! en responsum, instantia, corollarium! Argumenta in formam redacta etiam disputationem haud paulo longiorem, eumque, qui conclusionem mox videt, moræ impatientem reddunt: levat illum enthymema, vel simplex propositio, e qua cætera omnia colligi queunt. Syllogismus integer reservari deberet, ad raras occasiones evolvendi speciosum sophisma, aut veritatem abstractam ob oculos ponendi.

Interea stylo scholastico assueti non agnoscunt argumenta, quæ forma syllogistica induta non sunt. Ecclesiæ Patres videntur eis Oratores, ne dicam, loquaces, quia nativo sermone, ut in colloquiis fit, animorum sensa explicant; quia interdum interrogatione, exclamatione, aliisque figuris ordinariis utuntur: nec vident scholastici, figuras & ingenio-
fos

fos eloquendi modos parcere verbis, ac sæpe per vocem in loco positam præveniri aut averti oppositionem seu objectionem ipsos diu occupaturam.

An vero nullo in numero ponenda est fuga tædii ac fastidii, quod aridus, macilentus & ejusdem semper soni stylus non potest non afferre? Num studia seria jam hoc ipso molesta sunt & operosa? Non pridem notatum est, quod, qui docendo utile dulci miscet, omne punctum ferat? Hæc styli scholastici duritas absterret tot juvenes, & studia ipsis per omnem vitam odiosa reddit, postquam aliquot annos in collegiis ac seminariis hanc dictionem audiendo, & abstractas tractando quæstiones, quas sibi prodesse haud vident, transegerunt. Informatio est nutrimentum ingeniorum: cum eam damus, sequamur ordinem naturæ, seu potius divinæ sapientiæ, corporeo, quod nobis largitur, alimento jungentis oblectationem, quæ vehicu-

E 4 lum

lum ejus est, & suavi quadam necessitate nos inducit, ut conservemus vitam, & vires reficiamus. Imitemur SS. Basilium & Augustinum, qui cogitationum solidæ subtilitati amœnas expressiones, ac delicatos dicendi modos sociant; qui non quæstiones frivolas & pueriles, sed oppositiones ab hæreticis suorum temporum re ipsa factas nobis proponunt; qui non dubiis & opinionibus, sed veritatibus certis nos pascunt; qui doctrinæ in materiis etiam abstractissimis unctiorem conjungunt. En viæ duces, quos sequatur Theologus!

XVII.
Canonistæ.

Canonistæ sæculi XIII eandem cum Theologis methodum, eundem stylum tenere: minus tamen traditionem doctrinæ pro fundamento conservarunt, disciplinam non esse tam immutabilem, quam fidem, ut verum est, persuasum sibi habentes. Dissertatione priore detexi radices hujus mutationis, auctoritatem nempe falsarum Decretalium, omnium-

omniumque Gratiani collectionum;
& opinionem, quod Summus Pon-
tifex sit, supra Canones, ac potestas
ejus nullis cancellis circumscripta sit.

Ex eo tempore magis magisque a
regulis antiquitatis discessum est,
quarum ne cognitio quidem quære-
batur: Canonici jurisprudentia fa-
cta est arbitraria, &, quod consequi-
tur, incerta per nimiam constitutio-
num novarum prioribus vim dero-
gantium multitudinem, ac denique
per solutiones ab illis legibus, quas
antiquare in religionem vertebatur.

Doctores Decretum Gratiani ac De-
cretales Gregorii IX in scholis ex-
plicare soliti, earum interpretationes
seu Glossas fecerunt, quarum cele-
britas quidem, non item utilitas ma-
gna est nisi forsan ex eo, quod ca-
pita & locos inter se convenientes
fatis bene indicent. At hi interpre-
tes difficilia antiquorum Canonum
verba non exponunt, nec ipsimet in-
telligebant; & constitutionum cau-
sas occasionesque historicas vix un-
quam referunt. Illud, quod vocant

E 5 earum

*Gloss. in c. 1.
de Sum. Tr.*

earum casum ponere, nihil est aliud, quam in margine propria loci nominati verba scribere. Quandoque eruditionis suæ ostentandæ gratia etymologias afferunt, verum sæpe ridiculas, qualis illa est vocis *Diabolus* in principio Decretalium. Præcipuus illorum labor est e loci verbis complexiones & consequentias ducere alii materiæ applicandas, plerumque ad stabiliendam callidam litium artem.

I. Confid. c. 9.

^{10.}
*Hist. lib.
LXIX.
S. 45.*

Hic enim spiritus erat, qui tum regnabat. Vide querimonias S. Bernardi de causarum patronis in Curia Romana, & ex hac de aliis tribunalibus judica! Videmagni Concilii Lateranensis, ac præsertim primi Concilii Lugdunensis Canones: & intelliges, quo usque tunc processerit subtilitas advocatorum, ut cunctas eluderent leges, earumque speciem iniquitati obtenderent: hoc est, quod spiritum subdolarum litigandi artium voco. Porro advocati & procuratores forenses, in quibus

bus ille spiritus dominabatur, erant Clerici: hi soli tunc Canonici & Civilis Juris prudentiæ, velut etiam arti medicæ, aliisque facultatibus operam dabant. Monachis quidem, non autem Clericis a religiosa lege liberis sive sæcularibus vetitum erat, ne illas publice profiterentur. Si sola vanitas, & aliis antecellendi studium philosophis, theologisque tot malas subtilitates suggessit, ut nullum disputandi finem facerent, & nunquam victas manus darent: quanto fortius aviditas lucri advocatos eo stimulabat! & quid dicam de tali Clero? Spiritus Evangelii merus est candor, mera sinceritas, charitas & agendi ratio ab omni cupiditate aliena. Multum aberat, ut harum virtutum tam expertes Clerici alios eas docerent.

Episcopi alique Superiores bonum commune unice spectantes, & in iisdem scholis eruditi his malis mederi non satis sciebant; ut videmus in eorum constitutionibus, quæ
maxi-

maxima ex parte ad ordinanda singula faciendorum capita, & ad levanda incommoda pecularia tendunt, sed radicem mali non tollunt. Debebat ædificium a fundamentis redintegrari, & novus institui Clerus, e litteratorum optimis quibusque, ut olim, electus, per longa experimenta examinatus, & ad sacrum ministerium ex sola meritorum consideratione evehctus. Vide illa, quæ hac de re dixi Dissertatione secunda. Absque his providis cautionibus sapientissimæ leges in contemptum veniunt, &, quod consequens est, nullum pariunt emolumentum. Sed ad formandum talem Clerum oportuisset Episcopos nec privatis suis servire commodis, nec suis propinquis ad sacras dignitates promovendis studere, & Principum eas filiis suis in familiarum levamen cupientium conatibus fortiter obsistere. Saltem disciplinam veterem cognoscere convenisset: sed libri eam continentes non legebantur amplius.

§. 6.

Ergo

Ergo legamus eos modo, cum nostris sint in manibus: repetamus rem altius & a fontibus, qui sunt constitutiones Apostolicæ, Canones Nicæni aliorumque primorum Conciliorum, Epistolæ Canonice SS. Basilii & Gregorii Thaumaturgi, litteræ S. Cypriani, & aliorum Patrum. Illas, quas nobis veterem disciplinam edocendis aptiores credebam, in historia memoravi. Et quia e sæculo nostro exire, ac hodiernum, ex quo vivimus, morem mutare haud possumus, pervolvamus etiam constitutiones novas, & libros Canonistarum: sed contenti simus eos sequi, quatenus opus est, ut nos accommodemus ad præsentem rerum statum: nec tamen illos admiremur, & claudamus oculos, ne in iisdem videamus errata, incitiam, antiquitatis ignorantiam, malas subtilitates, abjectos animorum sensus. Revocemus semper in memoriam dignitatem puritatemque antiquorum canonum ad conservandos bonos mores, & ad Evangelii praxin confirmandam unice tendentium!

Sic

XVIII.
Idea studiorum meliorum.

Sic etiam salva proportione Theologiæ studium instaurari posset, ac res jam longe processit. Academiis incommoda accidit sui institutio in tempus incidens, quo bonorum studiorum gustus amissus erat: sed intra plures quam ducentos annos paulatim repertum (ut per historiæ decursum videbimus) in rem suam verterunt. Discendis doctorum linguis, vulgaribus excolendis, perficiendisque, historiæ & criticæ multum laboris impensum est, sicut indagini librorum in quovis genere originalium, quorum correctæ sunt editiones factæ. Nihil superest, quam ut proficiamus e sæculi nostri felicitate, ac materiam tam bene præparatam elaboremus.

Existimo autem, optimum ad hunc finem medium esse, si servemus in studiis sobrietatem, quam in opionibus tenendam *S. Paulus* nobis commendat, ne discamus nisi quæ scire possumus, & ab illo, quod maximi momenti est, ducamus initium!

Codicem

Codicem Sacrum assidua versantes manu insistamus sensui litterario simplicissimo rectissimoque sive ad dogmata, sive ad mores spectet. Cunctas quæstiones prævias Theologiæ generatim, & cujusque Tractatus sigillatim succidamus! Mox in materiam intremus: videamus, quales Scripturæ loci nos obligent ad credendam SS. Trinitatem, individuam naturæ divinæ cum humana conjunctionem, cæteraque mysteria; & quomodo Ecclesiæ authoritas dictionem ad exprimenda ea, quæ de illis credimus, necessariam præscripserit. Dei opera scire nobis sufficiat, seu per experientiam nostram, seu notitia e coelo hausta cognoscamus: nec in quæstiones periculosas, quid fieri potuerit, aut convenerit, ingrediamur!

Quantum ad ethicam attinet, tenenda sunt grandia illa principia in sacris litteris tam clare proposita, charitas, sinceritas, animi submissio, privatæ utilitatis neglectus, sensuum custo-

custodia, & præsertim cautio, ne
viam ad cœlum per tempus compla-
natam, & disciplinæ per ultima sæ-
cula remissioris usu ipso authorita-
tem contra Evangelium acquiritam
esse credamus. JESUS Christus ve-
nit in mundum, non ut stabiliret cul-
tum Dei exteriorem, & novas ceri-
monias institueret; sed ut adorari
Patrem in spiritu & veritate cura-
ret; ut mundaret sibi populum acce-
ptabilem, sectatorem bonorum ope-
rum. Quæcunque ethica ad for-
mandum talem populum non
tendit, ex Deo non
est.

Joan. IV.

23.

Tit. II. 14.



condemnaverat, ideoque Episcopi sacros Ordines non conferebant nisi jurantibus, se illis haud molestos fore: eam praxin tanquam sacrilegam seu simoniacam Concilium Blitterranum damnat. Præcipit Patronis Ecclesiasticis, seu Parochis primariis, ut in obnoxiiis sibi parœciis Parochos seu vicarios perpetuos cum portione congrua constituant. Vult etiam, ut habentes beneficium animarum cura præditum per ademptionem annuorum fructuum cogantur conveniente tempore se sacerdotio inaugurandos sistere: alioquin utroque indignos fuisse censendos dicit. Clerici status sui privilegio frui volentibus vetatur, ne arma gerant præterquam belli tempore: & hæc duæ conditiones notatu dignæ sunt. Reliqua ad Religiosos spectant, indicantque remissam tunc temporis in monasteriis disciplinam.

Sæcul. XIII.
A.C. 1233.

Sup. Lib.
LXXIII.

§. 21.

c. 8.

c. 11.

c. 12.

c. 13.

§. XXVII.

Universitas Tolosana.

Interim Gregorius Papa Universitatis Tolosanæ institutionem per Tractatum Parisiensem an. 1229 cæptam approbavit tanquam efficacissimum fidei hac in provincia ab hæreticis purgata confervandæ medium. Itaque Academicis Tolosanis eandem, quam Parisiensibus

epist. 28.
to. XI. conc.

p. 364.

Sup. Lib.
LXXIX.

§. 50.

Sup. Lib.
LXXV.

§. 26.

con-